



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

158. An servi possint communicare cum Domino excommunicato? Sed
difficultas est, quando servitus non præcessit, sed fuit posterior
excommunicatione; quod idem dicendum est, de famulis, aut etiam ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. CLVI.

An filij etiam emancipati, naturales & adoptivi cum patre excommunicato possint communicare? Ex par. 5. tract. 9. Refol. 118.

§. 1. Prima opinio negat. Ita Philippus Faber de cens. in 4. sent. dist. 25. q. 1. disp. 4. c. 7. n. 221. D. Th. in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. & communiter Theologi & Iurisperiti; & ratio est, quia talis filius iam non est sub potestate parentis, estque quasi extraneus, neque in illo habet locum ratio subjectionis actualis, quæ est in filio sub potestate patris constituto.

2. Secunda opinio est Suarez, dist. 15. sect. 5. qui distinguit, & ait filium emancipatum posse considerari vel secundum quod filius est, vel quatenus emancipatus est. Docet deinde filium, ut filium posse communicare cum patre, non tamen filium ut emancipatum, & explicat, quia filius excommunicati tenetur obedire patri, & succurrere etiam si sit excommunicatus. Ergo hac ratione potest cum illo communicare; ut vero emancipatus est, non potest communicare in his quæ non communicat ut emancipatus, v.g. in eadem domo, mensa, &c. in quibus ante excommunicationem non communicabat, & hoc modo dicit se intelligere, vel limitare communem sententiam, & ita hanc limitationem ponit etiam Cornejo, in 3. p. r. i. de excomm. disp. 11. §. 20. dub. 3. q. 3. Filliuc, tom. 1. tr. 13. cap. 6. n. 108. Sed Turrianus, lib. 2. disp. 13. dub. 4. putat hanc limitationem non esse contra primam opinionem communem, auctores enim illius solum continent non esse loquendum eodem modo de filio emancipato, & de filio non emancipato, cum enim subest aliqua obligatio filio respectu parentis, ratione illius poterit filius communicare, quia ut supra dicebamus debitor tenetur solvere debitum creditori etiam excommunicato. Et eodem pacto ut de filio adoptivo dictum est, philosophatur Turrianus de filiis adoptivis & illegitimis.

3. Tercia opinio, cui ego adhareo, absolute docet filium emancipatum posse cum patre excommunicato communicare, & ita docet Mercerus, de Sac. in 3. part. q. 21. dub. 11. Præpos. in 3. part. q. 2. de excomm. dub. 17. n. 6. Paludanus, in 4. dist. 18. q. 6. art. 2. & Vgolinus, de censur. tab. 2. cap. 23. & hanc opinionem etiam quoad filios adoptivos & illegitimos novissime tenet Hurtado, disp. 9. de excomm. d. f. 4. n. 21. ubi sic ait: Nomine liberorum etiam comprehenduntur filij emancipati, quamvis non sint commensales, ut contra non paucos docet Paludanus, quia verè sunt filij, & etiam comprehenduntur illegitimi, ob eandem rationem etiam comprehenduntur adoptivi, quamdiu non sunt emancipati, qui quamdiu non sunt, verè dicuntur filij; & in c. quoniam multos 11. q. 3. privilegiantur liberi absque ulla restrictione. Ita Hurtado ubi supra, satis quidem probabiliter, quicquid in contrarium asserat Turrianus, loc. cit. ubi putat sententiam Paludani quam sequitur Hurtado loc. cit. esse improbabilem; sed in censurandis opinionibus semper excedit Turrianus, unde nostram sententiam probabilem & tutam in praxi vocat Villalobos, in sum. tom. 1. tr. 17. diff. 1. n. 15. & Suarez, disp. 15. sect. 5. n. 4.

RESOLVITIO CLVII.

An pater possit communicare cum filio excommunicato? Idem dubium est de servo.

Et docetur excommunicationem incurrere Parentes com-

municantes cum filia excommunicata, eo quod post professionem in Religione matrimonium duxerat. Et quid, si censura incurfa est a patre, filio, &c. ob crimen hæresis, si infert periculum infectionis? Et inferitur, quod si filius patris Parochus sit, non licebit ei Sacramenta ministrare, nec coram eo divina facere. Ex part. 5. tr. 9. Ref. 120.

§. 1. Respondeo affirmative, quia eadem est ratio, nempe idem animarum periculum, quod quis prærendit evitare, & quia in iuris regula, quod in vno correlativo disponitur, de altero dispositum esse censetur, nam licet ad patrem spectet curare, quid filius respiciat & absolvat, hoc tamen non semper poterit obtinere, quamvis procuret, & dato quod non procuret, peccabit quidem contra præceptum naturale, sed non contra Ecclesiasticum de vitandis excommunicatis, ut supra diximus de marito respectu uxoris, & si obijcias textum in d. c. de filia dist. 27. ubi habetur excommunicationem incurrere parentes communicantes cum filia excommunicata, eo quod post professionem matrimonium duxerat. Respondetur tantum procedere in casu, quo parentes fovant illam in crimine criminoso in quo casu etiam non licet filio cum parentibus communicare, sicut neque quando censura incurfa est ob crimen hæresis, si infert periculum infectionis, & sicut alij etiam probabiliter limitant in humanis. Unde si filius patris Parochus sit, non licebit ei Sacra ministrare, nec coram eo divina facere, cum communicatio hæc non competat ei quatenus filius. Ita Cornejo in 3. p. r. i. de excomm. disp. 10. §. 10. dub. 3. & Gordon. tom. 2. lib. 7. quasi. 10. cap. 6. num. 85.

RESOL. CLVIII.

An servi possint communicare cum Domino, excommunicato?

Sed difficultas est, quando servitus non præcessit, sed fuit posterior excommunicatione, quod idem dicendum est de famulis aut etiam operariis. Et an vxor, filius, servus & supradicta persona possint communicare cum marito, patre, domino excommunicato, etiam in Sacris? Ex part. 5. tr. 9. Ref. 124.

§. 1. Respondeo affirmative; sed difficultas est quando servitus non præcessit, sed fuit posterior excommunicatione, & in hoc casu servos non posse communicare cum dominis excommunicatis, docet Gordonus, in summa, tom. 2. lib. 7. q. 10. c. 6. num. 79. ubi sic ait: Sed quæres quid de servis & famulis, aut etiam operariis, qui post latam excommunicationis sententiam suas operas locant excommunicato? Respondeo hos posse adhuc communicare cum illo, si bona fide suas operas illi locaverunt, ex c. inter alia, de sententia excommunicationis, si autem mala fide, & scientes illum esse excommunicatum, tunc & peccant, & incurrunt minorem excommunicationem, tenenturque illum relinquere, quod tamen intelligendum est, nisi aliunde ex præcepto, scilicet charitatis ob excommunicati necessitatem exaltetur à peccato, aut si non possint, sine damno suo recedere. Præterea quando excommunicatus servos empro, aut donatione libera obtinuit, tunc similiter tales servi non peccant in illa nova servituti acquisitione (si ipsi donantem, aut vendentem ad id non induxerunt) sicut nec postea peccant interfendo; quia contractus, per quem facti sunt servi fuit validus, & non est illicitum persolvere excommunicato quod illi debetur.

2. Et hæc omnia docet etiam Angelus *ver. excom. munitio* 8. n. 11. Ioan. Præpositus in 1. part. q. 2. de excom. dub. 17. num. 126. Philippus Faber de cens. in 4. sentent. disp. 25. q. 1. disp. 4. c. 7. n. 223. Navar. cap. 27. n. 27. Sylvest. verb. excommunicatio 5. n. 4. Megala in 3. p. lib. 2. cap. 5. q. 4. n. 53. Layman lib. 2. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 17. Alterius disp. 15. lib. 1. cap. 3. Suarez disp. 15. sect. 5. n. 13. Filiuc. tom. 1. tr. 13. cap. 6. n. 117. Mercerus de Sac. in 3. par. q. 21. dub. 1. & confirmat hæc opinio, quia in cap. inter alia, de sentent. excom. dicitur idē tales personas teneri ad familiare obsequium excommunicati, quia ante excommunicationem ad id tenebantur, quod debitum post excommunicationem adhuc durat; quæ ratio cum deficiat in iis, qui alteri non obligantur ante excommunicationem, ipsi non videntur illi posse communicare.

3. Vero mihi placet opinio contraria, quam novissime tueri Hurtado disp. 9. de excom. diff. 4. numero 24. ubi ita ait. Eximuntur omnes prædicti, etiam si ipsi excommunicati, & alij post horum excommunicationem denunciati sunt tales, nempe & conjuges, & famuli, & domini & Superiores, & inferiores, ut contra Angelum docent Agidius & alij, quia quamvis post excommunicationem modo declarato illiciti fiant tales (nisi ratione utilitatis, aut necessitatis,) nihilominus absolute fiant, & sunt tales, & isti tales eximuntur absolute, & absque restrictione. Et ita etiam docet Turrianus de cens. lib. 2. disp. 13. dub. 5. & Coninch de Sac. disp. 14. dub. 12. n. 129. qui num. 132. recte observat supradictas personas subiectas posse communicare cum excommunicato, etiam in Sacris: hinc famulus potest dominum excommunicatum euntem ad Sacrum comitari, sicut etiam ejus uxor, aut liber; item Sacellanus poterit cum suo Episcopo legere horas, aut famulus domino celebranti intervenire, quia ejusmodi obsequia & communicatio à talibus ex officio eis debita sunt ante excommunicationem, nec per hanc ea obligatio eliditur: ut patet ex cap. inter alia, 31. de sententia excommunicationis. Vide etiam Mercerus ubi supra, & Layman lib. 2. tract. 5. part. 2. c. 2. n. 16.

4. Non desinam hic adnotare Philippum Fabrum de cens. in 4. sentent. disp. 25. q. 1. disp. 4. cap. 7. num. 212. docere Gregorium non voluisse concedere privilegium quibuscumque subiectis, & servis excommunicati, sed illis solum, qui in honestis & necessariis rebus interviunt, non autem iis, qui in peccatis, & sceleribus parent. Sed hoc videtur nimis rigorosum, & Doctores loquuntur absolute, & sine ulla limitatione.

RESOL. CLIX.

An servi ejusdem Domini, quando unus illorum est excommunicatus, possint alij cum illo communicare? Et idem est de filiis respectu alterius filij. Et an Dominus possit communicare cum servis excommunicatis? Ex part. 5. tract. 9. Refol. 125.

§. 1. Respondeo affirmative, quia vix possunt communicare uni tertio sicut domino, quia communicant inter se, ceterum hoc ita intelligi debet, quod communicatio sit ejus tantum, quod supposita cohabitatione & famulatu vitari moraliter minime nequeat. Et ita docet Cotojo in 3. part. tr. 5. de excom. disp. 10. §. 10. dub. 3. diff. 4. Gordonus t. 2. lib. 7. q. 10. c. 6. n. 83. Mercerus de Sac. in 3. part. qu. 21. dub. 11. Turrianus lib. 2. disp. 13. dub. 5. cui adde Villalobos in summa, com. 1. tr. 17. diff. 13. num. 17. ubi sic ait. [Los criados e inferiores de la misma familia no pueden comunicar el uno con el otro, quando el uno

dellos está descomulgado, porque no tienen privilegio para esto, como notó Felino, mas podrán tener la comunicacion, que moralmente no pudieren escusar, presupuesto que viven de una puerra adentro.] Hæc ille.

2. Notandum est etiam hic obiter, quod dominus potest communicare cum servis excommunicatis, quamvis aliqui citati à Navar. in Manuali, cap. 27. num. 27. oppositum tenuerint, quos refellit Navar. cum Adriano in 4. de clavibus, quest. 3. & Suarez. Nam cum dominus & servus sint correlativi, quod conceditur servis, videtur quoque intelligi concessum dominis. Absurdum est enim quod liceat uxori communicare cum marito, & non liceat marito communicare cum uxore. Præterea dominus non potest privari jure suo in servos propter delictum servi. Unde Navarrus cum Adriano dicit hoc magis reduci ad utile, quam ad humile. Verum hoc videtur habere locum in servis & aliis familiaribus, & subiectis, qui obligati sunt domino, & dominus illis carere non potest sine aliquo incommodo; at cum sunt servi, qui liberè possunt discedere à domino, & dominus eos potest licentiaré absque aliquo ejus damno, puto non posse cum illis communicare, quoniam revera textus ille, quoniam multos, loquitur de servis, & non de dominis, neque in dominis est obligatio ad servum & subiectum, sicut in servo ad dominum, & ita docet Faber de cens. disp. 25. quest. 1. disp. 4. c. 7. num. 225. sed quoad hoc ultimum tu cogita.

RESOL. CLX.

An testes de jure privilegiati teneantur revelare crimen occultum sui conjuncti, si non adsint alij testes propter excommunicationem latam in aliquo monitorio? Ex part. 3. tr. 5. & Misc. 1. Refol. 63.

§. 1. Affirmativè respondeo cum Navar. in Manuali cap. 24. num. 49. Felino in cap. 1. de testibus cog. Capella Tholosana de cis. 4. & ibi Aufserius de cis. 412. Lazario de monitoriis sect. 3. quest. 11. num. 18. & aliis asserentibus privilegiatos esse abscriptos ad revelandum, si alij non adsint testes.

2. Non reticeam tamen contrarium docere Gabrielem Pereira tract. de manu Regia cap. 10. n. 36. ubi sic asserit: Plures sunt casus, in quibus testes à revelatione excusantur, ut quando ille testis esset de personis à jure privilegiatis qui crimen sui conjuncti revelare non tenebatur propter naturale debitum, quo inter se conjunguntur; & sic exploditur sententia Navarri, & aliorum; dum existimant, quod hi non excusantur à revelando, quando alij testes non adsint; non advertentes quod tales conjuncti nullo modo possunt testificari, ex l. lege Julia, ff. de testibus, & cap. injustis 4. distinct. 4. ne tollantur inter conjunctos pietatis officia, quæ innituntur rationi naturali, illorumque opinio admitti potest in aliis privilegiatis, de quibus agit lex in vii. ff. de testib. qui non ob naturale fedus, sed ob alias rationes minus juri naturali consonas privilegiati existunt, veluti miles, senex, valetudinarius, de quibus in leg. in vii. 1. & 2. agitur. Ita Pereira, sed an probabiliter, judicent alij, cum sententia contraria sit communis.

RESOL. CXLI.

An testes privilegiati de jure teneantur ex vi monitorij revelare crimē sui conjuncti, etiam si non adsint alij testes? Idem est de conjunctissimo amico, & de benefactore plane insigni.

Et